PA 3978
.B3

LIBRARY OF CONGRESS.

[SMITHSONIAN DEPOSIT.]

Chap. PA3978

Shelf. .B3

UNITED STATES OF AMERICA

DE

EURIPIDIS FABULA

QUAE INSCRIBITUR

ΑΛΚΜΕΩΝ Ο ΔΙΑ ΚΟΡΙΝΘΟΥ.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA UNIVERSITATE LITERARIA

ROSTOCHIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FREDERICUS A. BASEDOW

MEGALOPOLITANUS.

74238

ANNO P. CHR. N. MDCCCLXXII.

BEROLINI

TYPOS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE (OTTO LANGE).

PA 3978
B3

VIRO

ILLUSTRISSIMO DOCTISSIMO

JOANNI ERNESTO HEINRICHS

PHIL. DOCT. ART. LIB. MAG.

PROFESSORI REGIO

PIO GRATOQUE ANIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

VIRI

ILLUSTRISSIMI ORNATISSIMI

HENRICI BASEDOW

PATRUI DILECTISSIMI

MANIBUS

HOCCE OPUSCULUM

PIETATIS ESSE DOCUMENTUM VOLUIT

AUCTOR.

Quaestiones sanequam multas de dramatum Euripideorum numero indole ingenio iam a veteribus viris doctissimis habitas nec nostra memoria omnino esse confectas nemo est qui nesciat. Constat enim nobis Euripidis fabularum veras nisi duodeviginti integras non esse servatas, aliarum autem titulos solos ac pauca fragmenta nonnullis aliorum hominum doctorum notis affecta atque annotationibus. Quorum in numero qui cum Iphigenia Aulidensi et Bacchabus trilogiam faciebat, Ἀλκμέων[1]) ὁ διὰ Κορίνθου est nominandus. Haud pauci igitur extiterunt qui in hunc Alcmaeonem

---

1) Ἀλκμέων Euripidem scripsisse, non Ἀλκμαίων, docemur a grammatico Crameri Anecd. Oxon. vol. II. p. 337, 4. Ἀλκμέωνας· τὸ ΜΕ ψιλόν, ὡς παρὰ Εὐριπίδῃ ἔχει ἡ χρῆσις. συστείλας τὸ Ε φυλάττει τὸ Ω ὡς κύριον ἐν τῇ γενικῇ.

diligentissime inquirerent, quosque, quum alias enumerandi sint, hoc loco enumerare longum est. Sed quum illorum de Alcmaeone Corinthio quaestiones ad certum finem nondum perductae esse mihi viderentur, egomet pro viribus meis periculum feci, num mihi ut hanc solverem quaestionem contingeret.

Dissertationis
DE EURIPIDIS FABULA
quae inscribitur

Ἀλκμέων ὁ διὰ Κορίνθου

Caput I.

Aristotelis de Art. Poet. IX, 7 Herm. verba reputantur.

§ 1. Fere omnibus Euripidis fabulas circumspicientibus et pertractantibus id semper minime dubium fuit, quin artis Euripideae species et natura maximam artis tragicae recentioris haberet similitudinem. Ac quod ea ipsa, in quibus fabulae huius poetae a natura tragoediarum et Aeschyli et Sophoclis recedunt, non tam ex argumento quam ex dispositione fabularum cerni dico: rem non novam neque prorsus inauditam profiteor. Sed quod naturam et indolem tragoediae ab Euripide immutatae ex comoediarum forma commutata esse repetendam censeo, vereor ut apud multos plausum feram. Dicendum tamen est, quibus argumentis hanc meam opinionem confirmari arbitrer. Haud nescimus Euripidem, quas fabulas ab Aeschylo et Sophocle pertractatas videret, eas ita immutatas in scenam dedisse, ut plane novae evaderent: novimus irrisionem poetarum comicorum, imprimis Aristophanis: ac-

cepimus iudicium Sophoclis: nec tamen a quoquam recte de illa Euripidis consuetudine conformandi fabulas ad aetatis suae genium et indolem iudicari videmus. Quod enim fuere qui poetam eo ipso ad mutandas fabularum formas adductum esse censerent, quod principes illi poetae partem laudis Euripidi praeripuisse viderentur, id ut in omnes quas Euripides docuit fabulas cadat vereor. Plurima quidem argumenta ab aliis ante se pertractata Euripides nova ratione pertractavit, sed ne in iis quidem, quae ab aliis intacta reperiret, illo fabulas commutandi more abstinuit. Fabulas, quae haud mediocrem a simplicitate et magnificentia commendationem haberent, nimium abhorrere ratus poeta ab indole et ingenio, natura et moribus aetatis suae, ita eas conformavit, ut propius accederent ad suorum temporum genium, ut vitae qualem tum degebant Athenienses imaginem redderent veriorem; virisque summae antiquitatis et mulieribus, quibus ipsa vetustas splendorem et magnitudinem quandam addiderat, dempsit quaecunque naturam humanam, quam egregie perspexerat, excedere videbantur. Huc accedit quod Euripides Socratis de philosophia quae ad mores emendandos spectabat placita amplexus in tragoedia campum nactus esse sibi videbatur, in quo multum et longe expatiari posset. Nemo est quin sciat, quot sententias in fabulis suis proferat poeta, quae ad vitae recte instituendae leges ac praecepta aptius referuntur quam ad fabulae ipsius rationem, ad personas tragoediae earumque naturam et mores. Illa autem philosophiae praecepta non eam quam spectabat poeta vim esse habitura, si fabulae non tam temporum quibus vixit quam antiquitatis longe remotae speciem referrent, haud immerito persuasum erat Euripidi. Insigne huius rei exemplum exhibet comoedia antiqua, quae quidem non praecepta recte vivendi et placita e philosophia petita

profert, sed pravos hominum mores in scena traduxit, lepide perstrinxit, sale perfricuit. Idem igitur spectant tragoediae Euripideae atque comoediae antiquae: idem sequuntur consilium tragici poetae atque comici, sed diversa ratione et via. Sed non diu comoedia nullis limitibus circumscripta tam libere et licenter grassata est; mox enim publica lege cautum est, ne quem civem poeta comicus vivum in scena traduceret. Quo factum est ut, quum poetis comicis non amplius liceret ea quibus res publica ipsis laborare videretur mala ob oculos ponere neque eos cives notare, ex quibus civitas caperet detrimentum, ea fingerent poetae comici fabularum argumenta, quae haud obscuram rerum quas proponere vellent imaginem redderent personasque inducerent eo habitu iisque moribus insignes, ut nullum Atheniensium fugeret quem notare vellent: ut vel sic comoedia, quippe quae esset severa morum emendatrix, officio suo recte fungi posset. Luculenta extant in Aristophanis fabulis documenta, quarum quidem argumenta pleraque ita sunt comparata, ut ab omni fere cum rebus humanis similitudine abhorrere videantur. Idem cadit in personas quae, quamvis portentis quam hominibus similiores esse viderentur et in agendo ea sequerentur consilia, quae risum spectantium excitarent: pravos tamen mores et ingenia perversa virorum, quorum arbitrio tum rei publicae administrandae cura permissa erat, ita prae se ferebant, ut cives ad unum omnes quem notare voluisset poeta non agnoscere non possent. Hoc poetarum comicorum invento tragicos usos esse existimo: composuerunt et ipsi fabulas, quarum argumenta neque ab Homero neque ex poetis cyclicis mutuarentur neque ex fabulis, quae certis quibusdam locis in ore vulgi erant, haurirent: effinxerunt argumenta, effinxerunt personarum nomina eoque fabularum genere magnam apud

aequales inierunt gratiam. Non novimus ex illo genere nisi unius fabulae nomen, Agathonis tragici dico tragoediam quae Ἄνθος inscribitur.

§ 2. Sed veniamus ad Aristotelem[2]): qui, ἐπὶ μὲν οὖν τῆς κωμῳδίας, ait, ἤδη τοῦτο δῆλον γέγονε· συστήσαντες γὰρ τὸν μῦθον διὰ τῶν εἰκότων οὕτω τὰ τυχόντα ὀνόματα ἐπιτιθέασι, καὶ οὐχ ὥσπερ οἱ ἰαμβοποιοὶ περὶ τῶν καθ' ἕκαστον ποιοῦσιν. ἐπὶ δὲ τῆς τραγῳδίας τῶν γενομένων ὀνομάτων ἀντέχονται. αἴτιον δ' ὅτι πιθανόν ἐστι τὸ δυνατόν. τὰ μὲν οὖν μὴ γενόμενα οὔπω πιστεύομεν εἶναι δυνατά· τὰ δὲ γενόμενα φανερὸν ὅτι δυνατά· οὐ γὰρ ἐγένετο, εἰ ἦν ἀδύνατα. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς τραγῳδίαις ἐν ἐνίαις μὲν ἓν ἢ δύο τῶν γνωρίμων ἐστὶν ὀνομάτων, τὰ δὲ ἄλλα πεποιημένα. ἐν ἐνίαις δὲ οὐδέν, οἷον ἐν τῷ Ἀγάθωνος Ἄνθει· ὁμοίως γάρ ἐν τούτῳ τά τε πράγματα καὶ τὰ ὀνόματα πεποίηται. καὶ οὐδὲν ἧττον εὐφραίνει.

Tria igitur tragoediarum genera distinguit Aristoteles: primum earum quae in argumento ut ita dicam tradito versentur quarumque personae sint omnibus cognitae; eae sunt quas novimus fabulae trium principum poetarum, ut putant, omnes. Secundum earum quae in argumento versentur ficticio quarumque personae sint fabulis cognitae et celebratae aliae, aliae et ipsae commenticiae. Ad tertium denique genus refert Aristoteles eas tragoedias, quarum et argumenta et personae commenticiae sint: ex quo genere fuisse dicit Florem Agathonis. Certis utique testimoniis efficitur, Agathonem primum fuisse, qui eiusmodi fabulam componeret. Attamen Aristoteles, quum dicat id factum

---

[2]) Aristotelis de Arte Poetica cum commentariis G. Hermanni. Lipsiae 1802. IX, 7.

esse in Agathonis Flore, etiam aliorum poetarum fabulas fuisse ita comparatas significari voluisse putandus est.

§ 3. Sed quod secundum tragoediarum genus ex Aristotele statuimus, mireris sane hucusque omnes fugere potuisse. Ait igitur philosophus: esse tragoedias quarum argumenta poetae tragici, fabulas ex antiquis carminibus et fama populari repetendas missas facientes, commenti sint, sed in quibus personas inducant, quarum nomina alia ex illis ipsis fabulis repetant, alia et ipsa effingant. Aristoteles enim quid intersit inter comoediam et tragoediam exponens exorsus ita: ἐπὶ δὲ τῆς τραγῳδίας τῶν γενομένων ὀνομάτων ἀντέχονται, ea posuit quae supra attuli. Pergit deinde: ὥστ' οὐ πάντως εἶναι ζητητέον τῶν παραδεδομένων μύθων, περὶ οὓς αἱ τραγῳδίαι εἰσίν, ἀντέχεσθαι· καὶ γὰρ γελοῖον τοῦτο ζητεῖν, ἐπεὶ καὶ τά γνώριμα ὀλίγοις γνώριμά ἐστιν, ἀλλ' ὅμως εὐφραίνει πάντας. δῆλον οὖν ἐκ τούτων ὅτι τὸν ποιητὴν μᾶλλον τῶν μύθων εἶναι δεῖ ποιητὴν ἢ τῶν μέτρων, ὅσῳ μᾶλλον ποιητὴς κατὰ τὴν μίμησίν ἐστιν. Quae verba nisi egregie fallor multum ad artis tragicae apud Graecos incrementa et progressus rectius aestimandos conferunt. Etenim si, antequam poetae tragici componerent fabulas quarum et argumenta et personarum nomina essent commenticia, tragoediarum forma iam ita erat immutata, ut poetae in argumentis ficticiis versarentur nec tamen personarum nominibus quae in fabulis carminibusque essent celebratissima abstinerent: via satis erat munita ad illud tragoediarum genus cuius exemplum novimus Agathonis Florem.

§ 4. Deinde animum velim attendas ad eas difficultates quibus sic iudicium de argumento tragoediarum implicatur, quae a poetis tragicis profectae sunt qui ad

Alexandri usque tempora floruerunt. Scis enim de eorum quos dixi poetarum fabulis plurimis fere nihil relictum esse nisi titulos. Nonne dubitabis ex nomine fabulae coniecturam facere de argumento, quum nescias, utrum fabula ad eas pertineat quarum argumentum quidem commenticium est, sed quarum personae nomen mutuatae sunt a viris et mulieribus e larga carminum copia notissimis, an eo genere sit quod e superstitibus fabulis integris novimus. Equidem refero ad id tragoediarum genus quod secundum ponit Aristoteles Euripideum Alcmaeonem qui vocatur ὁ διὰ Κορίνθου. Quae sententia quo nitatur et quam habeat laudem, verisimilitudinis speciem agedum videamus.

Caput II.

Verba Schol. ad Aristoph. Ran. v. 67 in examen vocantur.

§ 5. Scholium ad Aristoph. Ran. v. 67, αἱ διδασκαλίαι, ait, φέρουσι τελευτήσαντος Εὐριπίδου τὸν υἱὸν αὐτοῦ δεδιδαχέναι ὁμωνύμως (unus codex: ὁμώνυμον probante Dindorfio) ἐν ἄστει Ἰφιγένειαν τὴν ἐν Αὐλίδι, Ἀλκμαίωνα, Βάκχας, quae verba, unde multum ad Euripidis Iphigeniam Aulidensem recte aestimandam peti posse demonstravit Boeckhius[3]), mirum in modum vexata contorta explicita sunt. Boeckhius enim formam et indolem illius tragoediae, quam omnes Euripideae artis interpretes haud paulum a

---

[3]) Boeckhius in libro didascalico: Graecae Tragoediae Principum Aeschyli Sophoclis Euripidis num ea quae supersunt et genuina omnia sint et forma primitiva servata, an eorum familiis aliquid debeat ex iis tribui. Heidelbergae 1808. c. XVIII. p. 225 sqq.

reliquis poetae fabulis recedere iudicant, ab Euripide minore profectam esse coniecit, quippe qui nonnullas poetae maioris homonymi tragoedias iam ante doctas forma passim immutata denuo in scenam produxerit. Quam quidem coniecturam, quum non sine magna verisimilitudinis specie de Iphigenia Aulidensi facta videretur, non minorem commendationem a reliquis duabus eiusdem trilogiae fabulis, Bacchabus et Alcmaeone, habere docte exposuit. Ac fabula Baccharum quidem quantam multis locis dubitandi copiam viro uni omnium rei criticae peritissimo suppeditet non obscurum est: ita ut multas illas et magnas discrepantias ex duplici quam vocavit recensione profectas esse iudicaret idem. De Alcmaeonis fabula minus etiam tum dubitari posse videbatur, quin vivo poeta docta, mortuo eo denuo in scenam esset data: confirmavit enim Boeckhium scholium illud ad Aristoph. Eqq. v. 1302:

οὐδὲ πυνθάνεσθε ταῦτ', ὦ παρθένοι, τὰν τῇ πόλει;

factum: quod ita: ὁ στίχος παρὰ τὰ ἐξ Ἀλκμαίωνος Εὐριπίδου. Comici poetae enim fabulam quum Ol. 88,4 doctam esse constaret, Alcmaeonem Euripidis ante actum necesse esse videbatur. Temporum discrepantiam Musgravius sustulisse videbatur et sibi[4]) et Hermanno[5]) Ἀλκμήνην rescribendo. At Bentleius[6]), qua fuit ille vir sagacitate et iudicii subtilitate, reliquiis fabulae Euripideae collatis et compositis fieri vix potuisse iudicavit, quin versus, quos scriptores veteres ex Alcmaeone haustos testarentur, in

---

[4]) Ios. Barnesii editionem cum toto apparatu Sam. Musgravii (chronol. scen.) cumque commentationibus et animadversionibus V. V. D. D. suisque, typis repetendam curaverunt I. F. N. Morus et Chr. D. Beckius. Lipsiae 1778—1788.

[5]) G. Hermanni Progr. De compositione tetralogiarum tragic. Lips. 1819. 4. p. 4.

[6]) Ric. Bentleius in Epistola ad Io. Millium, ed. Lips. p. 467.

una eademque fabula omnes locum habuissent. Is igitur poetam fata Alcmaeonis tribus fortasse fabulis complexum esse, quibus quarto loco drama satyricum annexum fuerit, suspicatus est, nactus eiusdem sententiae tenacem Bothium[7]). Bentleius male usus erat Apollodori[8]) verbis: Τυδεὺς δὲ ὥς φησιν ὁ τὴν Ἀλκμαιωνίδα γεγραφώς κτλ., ipse tamen haud immemor Strabonis[9]) et Schol. ad Eurip. Orest. 1000: Ἀκολουθεῖν δοκεῖ ὁ Εὐριπίδης τῷ τὴν Ἀλκμαιωνίδα[10]) γεγραφότι κτλ., statim pedem retulit. Neque vero opinioni Bentleianae adversari dixeris quod in marmore quod vocant Albano[11]) fracto quidem attamen fabularum Euripidis nomina ducibus literis ab A ad E usque deinceps complexo unus tantum Ἀλκμέων nominatur. Etenim idem observatur etiam in aliis quarum duae erant fabulis, ut Ἰφιγένεια, Μελανίππη κτλ. Partem veri viderat Bentleius, nomen scilicet integrum alterius fabulae fuisse Ἀλκμέων ὁ διὰ Ψωφῖδος assecutus: quod verum nunc possimus proferre, debetur scholio[12]) cuidam non multo ante memoriam nostram reperto, quo Euripidem Cressas, Alcmaeonem τὸν διὰ Ψωφῖδος, Telephum Alcestidemque Ol. 85, 2 archonte Glaucino una docuisse docemur (ἐδιδάχθη ἐπὶ Γλαυκίνου ἄρχοντος. πρῶτος ἦν Σοφοκλῆς, δεύτερος Εὐριπίδης Κρήσσαις, Ἀλκμέωνι τῷ διὰ Ψωφῖδος, Τηλέφῳ, Ἀλκήστιδι).

---

7) F. H. Bothius, Eurip. fragm. Lips. 1844. p. 28.

8) Apollodori B. I, 8, 5.

9) Strabo, X, p. 695 A.

10) Rectissime iudicavit de carmine Ἀλκμαιωνίς Heynius, Observatt. ad Apollod. p. 352, et egregie illustravit illud Welckerus in commentatione quae extat in Diariis schol. 1832. II. p. 219 sqq., neque omittendus est Eckermannus, Melampus und sein Geschlecht, Gott. 1840 p. 73—80.

11) Videbis monumenti huius descriptionem apud Winckelmann., Monum ined. P. III. C. III. p. 221. n. 168., coll. iis quae exposuerunt Marinus, Osannus, Matthiaeus, Welckerus alii.

12) G. Dindorf., Eurip. Alcestid. Oxon. 1834. praef. p. 9.

Peropportune accidit ut scholium[13]) ad Hesiod. Scut. Herc. in cod. Schellershemiano repertum nos alterius Alcmaeonis nomen fuisse τὸν διὰ Κορίνθου doceret. Quo semel reperto idem nomen in corruptis quibusdam Hesychii verbis, quae restituta cum Nauckio[14]) et G. Dindorfio[15]) ita nunc ponimus: ἀπαιώνιστον: δύσφημον. Εὐριπίδης Ἀλκμαίωνι διὰ Κορίνθου, latere primus scite observavit Matthiaeus[16]), doctissimus ille vir. Quid quod eiusdem fabulae significationem in corruptis scholiastae ad Aristoph. l. l. verbis detexit Dindorfius[17]): ΑΛΚΜΑΙΩΔΙΟΝΑΒΑΚΧ? Quod ut recte statuisse Dindorfium neges, amplius dubitari non potest quin, quam fabulam Euripide mortuo minor Euripides Athenis docendam curavit, altera illa Ἀλκμέωνος τοῦ διὰ Κορίνθου fuerit.

§ 6. Sed ne sic quidem omnis illa lis composita est: difficultates enim movit interpretibus illud ὁμωνύμως in verbis scholiastae l. l. repertum. Quod enim Boeckhius ὁμώνυμον, id quod etiam ab aliis receptum est, rescribi voluit filiumque patri cognominem significari censuit, assensum non tulit G. Hermanni[18]): quippe cui, ut Boeckhii coniectura probari posset, articulus τόν desiderari non posse videretur. Quid quod idem ne ὁμώνυμον quidem iusto loco positum esse negat? Servandum

---

13) Quod scholium editum est a Creuzero, Meletem. 1. p. 65. et Annal. Vindob. a. 1833. vol. 61. p. 190., et in Crameri Anecd. Paris. vol. 1. p. 20.

14) Nauckius, Tragic. Graec. Fragm. Lips. 1856.

15) Guil. Dindorf., Poetarum Scenicorum Graecorum Aeschyli Sophoclis Euripidis et Aristophanis fabulae superstites et perditarum fragmenta. Lips. 1869. III. Eurip. Fragm. No. 78. p. 296.

16) Eurip. trag. quae supersunt omnes et perd. fragm. ed. A. Matthiaeus. Lips. 1813—37.

17) Aristoph. schol. gr. ed. ill. Beck. et Dindorf. Berolini 1794—1834.

18) Hermanni praef. ad Eurip. Iphig. Aul. a se editam a. 1831. p. 13.

vero, ait, ὁμωνύμως iungendumque cum δεδιδαχέναι: nam sub eodem nomine docuisse tres fabulas filium Euripidis dicit. Id ille si fecit, aut suas docuit aut patris tragoedias. Gruppius[19]) ὁμοίως scribi mavult: quod quemadmodum apte interpretari possis equidem ignoro. Zirndorferus[20]) illud ὁμωνύμως et ipse tuetur et in suam detorquet sententiam. Ipsi enim Euripides et maior et minor Iphigeniam Aulidensem, Alcmaeonem, Bacchas composuisse easque fabulas una tetralogia complexi esse videntur. Mitto nunc eiusdem viri doctissimi de Iphigenia Aulidensi etiamnunc superstite sententiam ab hac disputatione alienam; id unum addo Zirndorfero persuasissimum fuisse ab Euripide maiore nullam tragoediam compositam esse, quamdiu apud Archelaum Macedonum regem vixerit. Sic enim ille: Haec autem fabula (Orestem dicit, quae fabula Ol. 92, 4 in scenam prodiit) ultima Euripidearum fuisse videtur non solum earum quae supersunt sed omnium quas scripsit, quum verisimile non sit eum in Macedonia novas fabulas docuisse. Attamen verisimillimum est poetam Archelai fabulam in gratiam Archelai regis composuisse, quum apud eum hospitio frueretur. Neque est quod obstet. Eam enim fabulam non tetigit Aristophanes nisi Ran. v. 1206, quae fabula mortuo Euripide acta est. Cui suam sententiam probaverit Zirndorferus, neminem novi: immo egregie eam refellit vir doctissimus qui censuram illius libri egit[21]), A. Witzschelius, in cuius sententiam nos quoque abire

---

19) O. F. Gruppii Ariadne. Die tragische Kunst der Griechen in ihrer Entwicklung und in ihrem Zusammenhang mit der Volkspoesie. Berolini 1833. p. 531.

20) Zirndorferi Dissert. de Eurip. fabula Iphigenia Aulidensi, Marburg. 1839. coll. chronol. fabularum Eurip. ibid. eod. p. 91.

21) In Jahnii Annall. a. 1839. vol. 27. II. p. 183.

non dubitamus: fabulas illas tres ab Euripide maiore esse profectas. Quod nisi statueris, sensu apto carebit Scholium ad ea, quae Comicus lusit in Ran. v. 66 sq.

τοιουτοσὶ τοίνυν με δαρδάπτει πόθος
Εὐριπίδου, καὶ ταῦτα τοῦ τεθνηκότος.

In eorum enim gratiam attulit Schol. ea quae tantis dubitationibus obnoxia esse vides.

§ 7. Sed si fabulas a patre relictas Athenis docuit filius[22]), quid sibi vult illud ὁμωνύμως? Witzschelius l. l. ex illo vocabulo effici apparere affirmat: filium tragoedias a patre relictas nihil immutatas, non suo nomine — ut ab Iophonte Sophoclis, Euphorione Aeschyli filio saepius factum esse accepimus — sed nomine patris inscriptas. Scilicet vir doctissimus fabulas iam actas forma et dispositione paulum mutata denuo datas esse in scenam omnino negat[23]). Illud ὁμωνύμως in eandem sententiam atque Witzschelius interpretantur alii[24]), neque aliter placet doctissimo illi Welckero[25]), qui tres illas fabulas non ante doctas esse affirmat. Qui deinde eandem rem in examen vocarunt Hartungus[26]) et Kayserus[27]), alter Boeckhii coniecturam amplectitur ὁμώνυμον rescribentis eumque e tribus

---

22) filius Εὐριπίδης, uti consentiens cum Schol. tradit Biogr. anon. ap. Elmslej., ὅς ἐδίδαξε τοῦ πατρὸς ἔνια δράματα, neque vero ἀδελφιδοῦς, ut scribit Suidas: νίκας δὲ εἵλετο (Εὐριπίδης maior) πέντε, τὰς μὲν τέσσαρας περιών, τὴν δὲ μίαν μετὰ τὴν τελευτὴν ἐπιδειξαμένου τὸ δρᾶμα τοῦ ἀδελφιδοῦ αὐτοῦ Εὐριπίδου. Haec testimonia spectare ad eandem illam trilogiam, quam indicavit Schol. Aristoph., negare vix poteris.

23) Uberius ea quae sibi de hac re viderentur exposuit V. D. in Diarr. antiq. stud. dic. 1840. Nov.

24) Cf. Th. Fixium, chronoll. fabb. p. 8. Praef. Eur. Par. 1843.

25) Welckeri de Tragoediis Graecis liber, Bonnae editus, a. 1839—41. vol. 3. p. 905. not. 30.

26) J. A. Hartungus, Eurip. Restit. Hamburg. 1843. II. p. 512.

27) C. L. Kayserus, Histor. crit. tragic. graec. Gotting. 1845. p. 83.

principis poetae filiis significari docet, quem reliqui scriptores operam posuisse tradant in docendis paternis tragoediis, neque tamen a verisimilitudine abhorrere poetam ipsum vivum easdem fabulas coram Archelao rege in Macedonia docuisse: alter, eas fabulas et a principe poeta profectas esse iudicat et a filio Athenis in scenam datas, sed eum eas populo commendare non potuisse nisi plane mutatas. E libris mscr. qui scholia ad fabulas Comici exhibent unus praebet scripturam ὁμώνυμον — Venetus Marcian. biblioth. 475. lit. G signatus in Edit. Schol. Paris. —; cui tamen libro, quum manum correctricem expertus esse videatur, in re nostra haud multum tribuerim. Utram scripturam praestare malueris, nihil interesse dixerim: nolo enim illud ὁμωνύμως de fabularum commissione dictum interpretari. Dubium non est quin et scholiasta ille et Biographus anon. ap. Elmslej. ex eodem fonte, e didascaliarum collectione, sua hauserint. Quotquot autem supersunt didascaliarum reliquiae, nusquam diserte significari video, suo an patris nomine filii poetarum tragicorum paternas fabulas, correctas an immutatas, in scenam produxerint.

Tres igitur illas fabulas, Iphigeniam Aulidensem, Alcmaeonem, Bacchas, Athenis nondum doctas mortuo poeta filius agendas curavit et primas tulit. Hanc enim poetae mortui victoriam et Thomae Magistri et Suidae verba: νίκας δὲ εἵλετο πέντε, τὰς μὲν τέσσαρας περιών, τὴν δὲ μίαν μετὰ τὴν τελευτήν indicare nobis videntur.

Caput III.

De argumento tragoediae disseritur.

§ 8. Aristoteles quo loco[28]) exponit qualia argumenta aptissima sint, Alcmaeonis fata ad ea refert quae a plurimis poetis tragicis tractata sint: πρὸ τοῦ μὲν γὰρ οἱ ποιηταὶ τοὺς τυχόντας μύθους ἀπηρίθμουν. νῦν δὲ περὶ ὀλίγας τραγῳδίας αἱ κάλλισται τραγῳδίαι συντίθενται. οἷον περὶ Ἀλκμαίωνα καὶ Οἰδίπουν καὶ Ὀρέστην καὶ Μελέαγρον καὶ Θυέστην καὶ Τήλεφον καὶ ὅσοις ἄλλοις συμβέβηκεν ἢ παθεῖν δεινὰ ἢ ποιῆσαι. Alcmaeonis matricidae sortem non Sophocles solum et Euripides, verum etiam Achaeus, Agatho, Astydamas, Theodectes, Chaeremo in tragoediis proposuerunt, quorum duo Ἀλφεσιβοίας nomen fabulis inscripserunt. E Latinis Ennius Alcmaeonem composuit ex Euripideo Alcmaeone qui ὁ διὰ Ψωφῖδος vocatur expressum. Sed Euripidei Alcmaeonis qui ὁ διὰ Κορίνθου vocatur fabulam singularem prorsus et ab aliis omnibus quae fata Alcmaeonis persequebantur tragoediis alienam iudico. Ac si iudicium de argumento faciendum esset e paucis versibus qui de tota tragoedia relicti sunt, male nobiscum ageretur. Referuntur enim e diserto scriptorum veterum testimonio ad Alcmaeonem Corinthium non nisi haec:

I. Anonymus in Creuzeri Meletem. 1. p. 65 et Annalibus Vindob. a. 1833. vol. 61 p. 190 et Crameri Anecd. Paris. vol. 1 p. 20. πάροδος δέ ἐστιν ᾠδὴ χοροῦ γινομένη ἅμα τῇ εἰσόδῳ, ὥσπερ — ἐν Ἀλκμαίωνι τῷ διὰ Κορίνθου

φίλαι φίλαι
πρόβατε, μόλετε· τίς ὅδε; ποδαπὸς ὁ ξένος
Κορινθίοις ἔμολεν ἀγχίαλος;

---

28) Aristoteles l. l. XIII, 7. Herm.

Dedimus versus ex Hermanni ratione dispositos.

Codex: φίλε φίλε, πρόβατε,
μόλε τις ὅδε. ποδαπὸς ὁ ξένος
Κορίνθιος ἔμολεν ἀγχίαλος;

F. V. Fritschius ita idem bis dici ratus in ceteris ille quidem Hermannum sequitur, sed τί τόδε; pro τίς ὅδε; corrigit hoc modo:

φίλαι φίλαι,
πρόβατε, μόλετε· τί τόδε; ποδαπὸς ὁ ξένος
Κορινθίοις ἔμολεν ἀγχίαλος;

Ita chorus virginum Alcmaeonem in scena subito conspicatus exclamat: τί τόδε; Confert autem Fritschius parodos in Soph. Oed. C. v. 117 et in Aristoph. Vespp. v. 230. Adde quae ego infra in annot. 41 dicturus sum.

C. O. Muellerus[29]) eos commaticos fuisse et in initio fabulae collocatos arbitratus coll. Orest. vv. 140 sq. eosdem ita disposuit:

φίλαι φίλαι πρόβατε μόλετε·
τίς ὅδε; ποδαπὸς ὁ ξένος Κορινθίοις
ἔμολεν ἀγχιάλοις;

Aliter placuit Meinekio[30]) qui eos proponit ita scriptos:

φίλε φίλε,
πρόβατε, μόλε τις ὧδε· ποδαπὸς ὁ ξένος
Κορινθίοισιν ἔμολεν ἄγχιμος [παρών];

v. 3 enim aut trimetrum iambicum iambo mancum [παρών aut simile quid supp.] aut dipodiam iambicam cum dochmio esse statuit. In locum voc. ἀγχίαλος quod sensu careat ἄγχιμος succedere iubet haec annotans e Bekkeri Anecd. p. 340, 24: ἄγχιμος ἀντὶ τοῦ πλησία. Εὐριπίδης· ἀλλ' ἄγχιμος γὰρ ἥδε Φοιβεία γυνή.

---

29) Mueller. in Mus. Rhen. phil. V. p. 361.

30) Meinekius in Diarr. antiq. stud. dic. a. 1843. II. n. 24.

Bothius[31]) inter duo hemichoria versus dispertiendos esse putat ita scriptos:

ΗΜΙΧ. α'. Φίλαι φίλαι πρόβατε μόλετε.
β'. τίς ὅδε; ποδαπὸς ὁ ξένος
Κορινθίοισιν ἔμολεν ἀγχιάλοισιν;

Hartungus[32]) versus inter Tisiphonen et chorum ita dispertit:

ΤΙΣ. Φίλαι φίλαι,
πρόβατε μόλετε.
ΧΟΡ. τίς ὅδε;
ποδαπὸς ὁ ξένος Κορινθίοις
ἔμολεν ἀγχίαλος; —

in quibus aut ἀγχιάλοις aut ἀγχίμολος erat scribendum.

II. Hesychius, ἀπαιώνιστον: δύσφημον. Εὐριπίδης Ἀλκμαίωνι διὰ Κορίνθου[33]).

§ 9. Sed uno omnes consensu tragoediae nostrae argumentum servatum esse ab Apollodoro[34]) statuerunt interpretes: qui postquam res ab Alcmaeone gestas persecutus est, ita pergit: Εὐριπίδης δέ φησιν Ἀλκμαίωνα κατὰ τὸν τῆς μανίας χρόνον ἐκ Μαντοῦς[35]) Τειρεσίου παῖδας δύο γεννῆσαι, Ἀμφίλοχον καὶ θυγατέρα Τισιφόνην, κομίσαντα δὲ εἰς Κόρινθον τὰ βρέφη δοῦναι τρέφειν Κορινθίων βασιλεῖ Κρέοντι, καὶ τὴν μὲν Τισιφόνην διενεγκοῦσαν εὐμορφίᾳ ὑπὸ τῆς Κρέοντος γυναικὸς ἀπεμπολη θῆναι, δεδοικυίας μὴ Κρέων αὐτὴν γαμετὴν ποιήσηται, τὸν δὲ Ἀλκμαίωνα ἀγοράσαντα ταύτην ἔχειν οὐκ εἰδότα τὴν ἑαυτοῦ θυγατέρα θεράπαιναν, παραγενόμενον δὲ εἰς Κόρινθον ἐπὶ τὴν τῶν τέκνων ἀπαί-

31) Bothius l. l. p. 31.

32) Hartung. l. l. II. p. 536. cf. Welcker. l. l. p. 580. et G. Dindorf Eur. fragm. l. l. No. 75. p. 295.

33) Cf. supra annot. 15.

34) Apollod. 3, 7, 7. cf. Dind. l. l. p. 295.

35) Cf. Clemens Alex. Strom. 1. p. 399. Τειρεσίας τε αὖ καὶ Μαντὼ ἐν Θήβαις, ὥς φησιν Εὐριπίδης.

τησιν καὶ τὸν υἱὸν κομίσασθαι. καὶ Ἀμφίλοχος κατὰ χρησμοὺς Ἀπόλλωνος Ἀμφιλοχικὸν Ἄργος ᾤκισεν[36]).

Duce Apollodoro qui dispositionem tragoediae nostrae illustrare aggressi sunt, Eckermannus[37]) et Hartungus[38]) et Welckerus[39]), in diversas abierunt partes. Welckeri rationem quae ceteris praestare videtur et Wagnerus[40]) amplexus est et ego potissimum sequar.

§ 10. Euripides Alcmaeonem, qui Tisiphonen filiam inscius ut servam secum ducit, Corinthum facit petentem ut liberos suos e Manto Tiresiae filia susceptos a Creonte rege expostulet. Obviam fit choro[41]) virginum Corinthiarum quarum admirationem adventus eius excitat: non enim eum noverant. Adit Alcmaeo regem qui, quum subole carens senex nullam spem progeniei relictam esse sibi videret, Alcmaeonis filium Amphilochum suum fecisse videtur: sperans scilicet Alcmaeonem insania correptum non recordaturum esse, cui liberos parvulos tradiderit. Celaverat igitur Amphilochum stirpem et sororem Tisiphonen, quae pulchritudine sua coniugis aemulationem excitaverat, ab uxore venundari passus erat. Tum Alcmaeoni

---

36) Libb. dant ᾤκησεν: scripsi cum Schubarto (Quaestt. historicc. genealogicc. in antiquitatem heroic. graec. cum praef. Fr. Creuzeri, Marburg. 1832. p. 146) ᾤκισεν comparatis iis quae Thucyd. II. 68 tradit.

37) Eckermann. l. l. p. 89 sqq.

38) Hartung. l. l. II. p. 534 sqq.

39) Welcker. l. l. p. 579 sqq.

40) Wagner., Poetarum tragic. Graec. fragm. vol. II. Eurip. fragm. Vratisl. 1844. II. p. 43.

41) Vid. verba a nobis supra § 8. allata. Non inepte interpres qui ea laudavit ex Oreste v. 140 sq. in comparationem vocavit illa:

σῖγα σῖγα, λεπτὸν ἴχνος ἀρβύλης
τίθετε, μὴ κτυπεῖτε ⏑ ⏑ — ⏑ —

Aptius poterat commemorare Sophoclea Oed. Col. 117:

ὅρα· τίς ἄρ' ἦν; ποῦ ναίει;

liberos reddere recusat negans fortasse eum sibi liberos educandos tradidisse. Creontis uxor doli et fraudis conscium non fecerat nisi servum quendam quem fidum putabat. Postquam igitur Alcmaeo filium non agnoscens allocutus est his versibus[42]):

ὦ παῖ Κρέοντος, ὡς ἀληθὲς ἦν ἄρα
ἐσθλῶν ἀπ' ἀνδρῶν ἐσθλὰ γίγνεσθαι τέκνα,
κακῶν δ' ὅμοια τῇ φύσει τῇ τοῦ πατρός —

idem ille servus rem aperit Alcmaeoni, qui ignominiam, qua filiam affectam esse intellegit, divinitus missam sibi persuasit, quippe quum numen divinum paternorum scelerum poenas vel a liberis repetat. Erumpit igitur in verba[43]):

τὰ τῶν τεκόντων ὡς μετέρχεται θεὸς
μιάσματα.

Huc spectare videntur etiam haecce verba[44]):

μέτεστι τοῖς δούλοισι δεσποτῶν νόσου.

Sed animi generosi filia ne in posterum quidem paternae calamitatis particeps fieri recusat[45]):

---

[42]) Quae a Stobaeo 90, 2. E. Ἀλκμέωνι (ἀλκμαίωνι A. Vind.) ex Alcmaeone petita ad hanc nostram fabulam recte retulerunt interpretes. Cf. Dind. No. 76. p. 295 sq.

[43]) Stob. 79, 15. E. Αλκμέωνος. Dind. No. 83, p. 296. Quos Euripideos versus Wyttenbach. in verbis Plut. Mor. 556 E. 562 F. detexisse sibi visus est:

τὰ τῶν τεκόντων σφάλματ' εἰς τοὺς ἐκγόνους
θεοὶ τρέπουσι —

ex alia tragoedia petitos esse dixerim. Nolo cum Eckermann. l. l. p. 93. ita interpretari, quasi Alcmaeo cum filia stuprum fecerit: nonne enim filiae infortunium vel in eo cerni poterat, quod serva domini insania afflicti aerumnarum particeps facta erat, quas multas et magnas perpessus erat Alcmaeo.

[44]) Stob. 62, 20. E. Ἀλκμέωνος. Dind. No. 86 p. 296. Contulisse iuvabit Aristoph. Plut. init., ubi Cario servus Chremylum erum sequi coactus dicit:

ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ' ἐστίν, ὦ Ζεῦ καὶ θεοί,
δοῦλον γενέσθαι παραφρονοῦντος δεσπότου.
v. 5. μετέχειν ἀνάγκη τὸν θεράποντα τῶν κακῶν.

[45]) Stob. 79, 23. E. Ἀλκμέωνι. Dind. No. 85. p. 296.

ἢ τί πλέον εἶναι παῖδας ἀνθρώποις, πάτερ,
εἰ μὴ 'πὶ τοῖς δεινοῖσιν ὠφελήσομεν;

Gravissimo enim opprobrio esse filiae censet ipsa[46]),

εἰ τοῦ τεκόντος οὐδὲν ἐντρέπει πατρός.

Iam vero a servo edoctus fraudem et reginae et Creontis regis Alcmaeo filia agnita Creonti filium vi eripuisse videtur. Eo enim ducunt verba[47]):

ὁρᾶτε τὸν τύραννον, ὡς ἅπαις γέρων
φεύγει· φρονεῖν δὲ θνητὸν ὄντ' οὐ χρὴ μέγα.

Creo culpam a se removere cupiens iram effudisse putandus est in coniugem, quae quam maxime Alcmaeonis vindictam in se conflaverit. Quae regis in uxorem coniecta opprobria enotari videntur his verbis:

γυναῖκα καὶ ὠφέλειαν καὶ νόσον ἀνδρὶ φέρειν
μεγίσταν ἐδίδαξα τῷμῷ λόγῳ.

— Quae utrum e cantico chori petita sint an ex oratione Creontis multum dubitatum est: alterum tamen postulant et forma dorica μεγίσταν et rationes rhythmicae.

Grotius[48]) verba in hos versus redegit:

γυνὴ καὶ ὠφέλειαν ἀνδρὶ καὶ νόσον
φέρει μεγίσταν, ἐκδιδάσκετ' ἐμῷ λόγῳ —

in quibus displicet illud μεγίσταν et infinitivi φέρειν haud

---

46) Priscianus vol. 2. p. 311. ed. Hertz. *Attici* ἐντρέπομαι τοῦτο καὶ τούτου. — *Euripides in Alcmaone*

εἰ τοῦ τεκόντος οὐδὲν ἐντρέπει πατρός.

(ἢ τοῦ τεκόντος: Spengel. ad Varr. p. 624). Cf. Dind. No. 84. p. 296. — Th. Bergkius, Attii versum ex Alphesiboea comparans:

si tui veretur te genitoris cedo —

proposuit:

εἴπ' εἰ τεκόντος οὐδὲν ἐντρέπει πατρός.

47) Stob. 22, 13. E. Ἀλκμαίωνος. Dind. No. 77, p. 296. Ad Alcmaeonem Corinthium hi versus a Welckero rectissime referuntur.

48) Grotius ad Stob. p. 287.

impune mutata constructio. Minus etiam placent et Valckenarii[49]) coniectura:

γυναῖκα δ' ὠφέλειαν
καὶ νόσον ἀνδρὶ φέρειν μεγίσταν
ἐδίδαξα τῷμῷ λόγῳ —

et quae Dindorfius[50]) dat:

γυναῖκα καὶ ὠφελίαν
καὶ νόσον ἀνδρὶ φέρειν μεγίσταν
ἐδίδαξα τῷμῷ λόγῳ.

At F. V. Fritschius plane sequitur Dindorfium, praeterquam quod ante v. ἐδίδαξα unam syllabam longam excidisse arbitratur idque ipsos numeros postulare.

Bothius[51]) rescribi voluit haec:

γυναῖκα κὠφέλειαν ἀνδρὶ καὶ νόσον
φέρειν μεγίσταν ἂν ἐδίδαξ' ἐμῷ λόγῳ.

Eckermannus[52]) hanc proposuit versuum scripturam:

γυναῖκές κ' ὠφελίαν καὶ νόσον φέρειν
ἀνδρὶ μεγίσταν τῷμῷ 'δίδαξα λόγῳ.

Hartungus[53]) ea chori verba esse suspicatus ad Alcmaeonem Psophidensem retulit.

Idem Creo uxori, quum ab animo servi male fido excusationem peteret, haec occinuisse videtur[54]):

ὅστις δὲ δούλῳ φωτὶ πιστεύει βροτῶν,
πολλὴν παρ' ἡμῖν μωρίαν ὀφλισκάνει.

Relicti sunt praeterea tres hi versus[55]):

---

49) L. C. Valckenarii Diatribe in Euripidis deperditorum reliquias, Lugd. Bat. 1768. p. 1329.

50) Stob. 69, 7. E. Ἀλκμέωνος. Dind. No. 79. p. 296.

51) Bothius l. l. p. 29.

52) Eckermann. l. l. p. 95.

53) Hartung. l. l. I. p. 192.

54) Stob. 62, 22. E. Ἀλκμέωνος. Dind. No. 87. p. 296.

55) Dind. No. 88. p. 296: Erotianus Gloss. Hippocr. p. 344 (119, 12. ed. Klein.) σκεθροτέρης — κεῖται δὲ ὁτὲ μὲν ἀντὶ τοῦ ἀληθοῦς, ὁτὲ δὲ ἀντὶ τοῦ ἀκριβοῦς λογισμοῦ τὸ σκεθρόν, ὡς καὶ Ε. ἐν Ἀλκμαίωνί φησι. γυναῖκες κτλ.

γυναῖκες, ὁρμήθητε μηδ' ἀθυμίαν
σχέθῃ τις ὑμῶν· ταῦτα γὰρ σκεθρῶς ὁρᾶν
ἡμᾶς ἀνάγκη τοὺς νομίζοντας τέχνην —

in quibus et emendandis et explicandis versati sunt Vuclanius, Valckenarius, Elmsleius, Matthiaeus, Nauckius alii. Sed obscuriora sunt verba quam ex quibus certi quidquam extrices, neque omnino diiudicari potest rectene an secus ad nostram fabulam referantur.

§ 11. Quod igitur Welckero duce fabulae Alcmaeonis τοῦ διὰ Κορίνθου argumentum exponere studuimus, quamquam si Apollodorum secutus fueris proxime ad verum accedere videbitur, tamen ne sic quidem ita comparatum est, ut quem habuerit exitum tragoedia luculenter appareat. Cognovimus nos quidem ἀναγνωρισμόν et περιπέτειαν quas Euripides summa arte instituere solet, sed argumentum ex eo genere fuisse dixerim quod Aristoteles non magnopere laudat. Ait is enim l. l.: ἀνάγκη ἄρα τὸν καλῶς ἔχοντα μῦθον ἁπλοῦν εἶναι μᾶλλον ἢ διπλοῦν, ὥσπερ τινές φασι, καὶ μεταβάλλειν οὐκ εἰς εὐτυχίαν ἐκ δυστυχίας, ἀλλὰ τοὐναντίον, ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν μὴ διὰ μοχθηρίαν ἀλλὰ δι' ἁμαρτίαν μεγάλην ἢ οἵου εἴρηται ἢ βελτίονος μᾶλλον ἢ χείρονος. Quid quod inest in eo nescio quid ab antiqua arte tragica quam maxime alienum? Nonne sentis vel ipsius fabulae conformationem omnino non accommodatam esse iis temporibus quibus acta res esse fingitur? Nonne vides artificiosam rerum implicationem, ut tragicos motus, tragicam vim cieat poeta nodo expediendo institutam? Nonne desideras πάθος illud tragico dignum cothurno quod in antiquis inerat fabulis neque a poeta demum in eas inferebatur? Ubi est illa nativa rei simplicitas quae sentiri magis quam verbis exprimi potest? Quid quod poeta omnem omnino mythologicam fabulae

rationem neglexisse videtur, siquidem fas est ex ungue leonem iudicare? Ubinam in fabulae locus erat notionibus divinis et sublimiori cogitationum generi quarum contentione animus humanus mire afficitur? Res ipsa ad humilem vivendi rationem hominum quales tum erant deducit atque ad similitudinem vitae quotidianae expressa est. Quid multa? Euripides argumentum fabulae totum effinxit! Cognoscere potes illam tragicae artis commutationem non subito esse factam sed poetas paulatim a fabulis traditis recessisse, donec comicorum poetarum invento usi argumentum et ipsi effingerent. Quanto Euripides in tractandis fabulis arbitrio versatus sit, luculentius vix apparere negamus ex alia tragoedia quam ex Cresphonte — cuius rationem mythologicam et argumentum in fabulis traditum, si Deo Optimo Maximo visum fuerit, alio loco illustrabimus. Egregie Welckerus nos ad eam inter Cresphontem et Alcmaeonem Corinthium similitudinem animum attendere iubet[56]) quae in argumenti artificiosa conformatione cernatur, quam vir ille sapientissimus et ipse e comoedia recentiore profectam esse iudicat.

§ 12. Iam revertamur ad Aristotelis verba: οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς τραγῳδίαις ἐν ἐνίαις μὲν ἓν ἢ δύο τῶν γνωρίμων ἐστὶν ὀνομάτων, τὰ δὲ ἄλλα πεποιημένα κτλ. Alcmaeonem τὸν διὰ Κορίνθου igitur ad id fabularum genus refero, quarum argumentum quidem a poeta totum effictum est sed in quas personas ut ita dicam heroicas introduxit poeta, i. e. nominibus usus est aliis ex epicis carminibus et fabulis apud incolas singularium terrae partium celebratis, aliis et ipsis commenticiis. Obici mihi nolo quod Aristoteles, si fabulam poetae cuiusdam celebrioris

---

56) Welckerus, l. l. p. 579.

ex illo genere nosset, exemplum allaturus fuerit; fuisse enim eiusmodi tragoedias ex eius verbis luculenter apparet. Unum quidem superesse video quod iustam dubitationem movere posse videatur: verisimile non videri tale quid aetate Euripidea esse factum: praesertim si recordatus fueris versuum quibus Antiphanes poetas tragicos comicis feliciores esse praedicat, quippe qui non argumenta solum tragoediarum e carminibus et fabulis hauriant, sed quibus vel personis uti liceat, quarum mores et ingenia in iisdem iam conformata et expressa sint: at poetae comico non modo argumenta, verum etiam naturam et indolem personarum effingendam esse. Haec Antiphanes, quem poetam comicum circa Ol. 93. floruisse Suida teste comperimus, in fabula posuerat cui inscripserat Ποίησις[57]):

ἡμῖν δὲ ταῦτ' οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ πάντα δεῖ
εὑρεῖν, ὀνόματα καινά, τὰ διῳκημένα
πρότερον, τὰ νῦν παρόντα, τὴν καταστροφήν,
τὴν εἰσβολήν. ἂν ἕν τι τούτων παραλίπῃ,
Χρέμης τις ἢ Φείδων τις ἐκσυρίττεται.
Πηλεῖ δὲ ταῦτ' ἔξεστι καὶ Τεύκρῳ ποιεῖν.

Sed ne sic quidem male nobiscum agitur. Opportune enim Aristoteles l. l. e tertio fabularum genere exemplum proponit Agathonis tragoediam Ἄνθος: ὁμοίως γὰρ ἐν τούτῳ τά τε πεπραγμένα καὶ τά ὀνόματα πεποίηται· καὶ οὐδὲν ἧττον εὐφραίνει. Agathonem et Euripidem aequales fuisse scimus (etsi maior natu erat Euripides) atque utrumque apud Archelaum Macedonum regem annos vitae extremos degisse et Agathonem haud ita multo post mortem Euripidis decessisse accepimus. Primum idem Athenis docuit in festis Lenaeorum diebus Ol. 90, 4. Qui quum Euripidis consuetudine et familiaritate usus sit, quidni, quid quisque

---

57) Vid. Athen. VI. p. 233 A.

in arte tragica moliretur, alterum coram altero sermonibus familiaribus exposuisse credamus? Fieri igitur non posse intelleges ut, utri laus inventionis tribuenda sit, diiudicemus, ne iniquius de alterutro statuisse videamur.

§ 13. Res quam tetigimus tanta est ut non verendum sit, ne sint, qui nobis verbositatem obiciant, si circumspicientes praesidia coniecturae nostrae ne levidense quidem argumentum, quod eidem patrocinari visum fuerit, hoc loco neglegendum esse putaverimus.

Fabularum quae ad Alcmaeonem spectant tanta superest copia, ut vix invenias scriptorem quin eius fata tetigerit: ita ut mirum videri non possit, si fabulae vestigia secuti vitam herois ad mortem usque etiamnunc pertexere possimus. Attamen etiamsi Homero et Thucydide, Pausania et Strabone, Herodoto et Diodoro ceterisque mythographis antiquis ducibus universum fabularum orbem pervestigaveris, non invenies Alcmaeonem unquam Corinthum devenisse ibique tragico digna cothurno esse passum. Frustra etiam Hyginum consules, quippe quem tragoediarum vestigia eaque Euripidea secutum esse constet: sed ne is quidem fabulas de Alcmaeone persequitur nisi notissimas. Quod reliquum erat Asclepiadem adii, cuius de Alcmaeone narrationem servavit Schol. ad Hom. Od. λ. 326 et quem in libro Tragodumenon argumenta tragoediarum exposuisse haud ignorabam. Sed ne ex huius quidem grammatici narratione fructum ullum ad quaestionem propositam capi posse intellexi. Non sine iusta causa Apollodorum neglexi: is enim postquam diligenter persecutus est quaecunque ad Alcmaeonem, res ab eo gestas, calamitates quas est perpessus spectant, ea deinceps annectit quae ad tragoediam Euripidis pertinent. Videtur igitur et ipse frustra quaesivisse fontem unde profecerit

poeta tragicus: quem fontem quum detegere non posset, Euripidem fabulae auctorem non obscure significavit dicens: Εὐριπίδης δέ φησιν κτλ. Eandem profitetur sententiam Eckermannus[58]): „*Was das Euripideische Drama, nach welchem Alcmeon in seinem Wahnsinne mit der Manto die Tisiphone und den Amphilochus erzeugte, und welches sich um die Wiederfindung der verkauften und vom Vater als Sclavin behandelten Tochter drehte, (anbetrifft), so können wir dieses ohne Gefahr auf Apollodors Ausspruch für ein Autoschediasma dieses Dichters halten, zumal da das ganze Stück sowol als auch die Anlage desselben viel zu romantisch und jung aussieht, als dass wir darin eine höhere Bedeutung und tieferen Sinn zu entdecken hoffen dürften.*“

Nonne in hac causa maximi momenti est quod ne is quidem qui Alcmaeonis fata epico carmine complexus erat — ὁ τὴν Ἀλκμαιωνίδα γεγραφώς — commemorasse videtur quae ex fabula Euripidea mutuatus est Apollodorus. Atqui Apollodorus epicum illud carmen et ipse in auxilium vocavit.

§ 14. Redeo ad Euripidem. Is igitur in tragoedia de qua quaerimus usus est nominibus celebratissimis: Alcmaeone matricida quem insania correptum in altera fabula Alcmaeonis Psophidensis in scenam produxit, uti apparet cum ex iis, quae inde translata Ennius in sua Alcmaeonis[59]) tragoedia collocaverat, tum e comicorum quorundam versibus quos Bentleius l. l. primus indicavit[60]); Creonte Corinthiorum rege quem sors Medeae inclutum reddidit; Manto Tiresiae filia quae quemad-

58) Eckermann. l. l. p. 104.

59) Bothius, Poet. trag. lat. fragm. Halberst. 1823. p. 31.

60) Eckerm. l. l. p. 88.

modum cum Alcmaeone coniungi potuerit te docebit Eckermannus[61]). Idem vero effinxit et personas et nomina Amphilochi filii et filiae Tisiphones. Ac filiam non inepte nominavit Tisiphonen, quippe quae patris matricidae poenas divinitus immissas solverit: filii nomen a fratris Amphilochi nomine, qui Alcmaeonem in matre caedenda adiuvisse dicitur[62]), mutuatus est. Quid quod poeta noster id ad Amphilochum Alcmaeonis qui fingitur filius transtulisse putandus est, quod fabularum fere omnium consensu ad Amphilochum Amphiarai filium spectat? Apollodorus l. l. sub finem argumenti tragoediae Euripideae, ut supra demonstravimus, haec addidit: καὶ Ἀμφίλοχος κατὰ χρησμοὺς Ἀπόλλωνος Ἀμφιλοχικὸν Ἄργος ᾤκισεν. Quod Schubartus[63]) ea verba iusto loco mota et perperam huic narrationi annexa iudicat et facta transpositione coniungenda esse censet cum his: καὶ κτίζουσιν Ἀκαρνανίαν[64]), nobis minime probatur: quin immo Euripidem in exitu fabulae commentum suum ea ratione cum fabulis celebratissimis coniunxisse arbitramur. Idem alias fecit: quidni in hac tragoedia, praesertim quum hac sola ratione auditores celare posset quod a fide historiae argumentum fabulae suae nullam commendationem haberet, idem fecisse credamus? Ac Thucydides[65]) quidem Amphilochum Amphiarai filium, Alcmaeone fratre natu minorem, ab expeditione adversus Troiam facta reducem novam urbem ad sinum Ambracium condidisse ac de patria Argos denominasse tradit, postea Amphilochicum Argos dictam. In Acarnania vero Alcmaeonem consedisse et regioni de nomine filii

61) Eckerm. l. l. p. 76. 98.

62) Vid. Apollod. III, 7, 5. et Eckerm. l. l. p. 41., 62., 65. al.

63) Schubartus l. l. p. 158.

64) Apollod. III, 7, 7 in.

65) Thucydid. II, 68. Vid. Paus. II, 18, 4. X, 10, 3.

Acarnanis nomen indidisse idem[66]) refert. Hecataeo[67]) et Ephoro[68]) testibus Alcmaeo Argos condiderat ac de fratre Argos Amphilochicum denominaverat. Eorum autem qui praeter Apollodorum Amphilochum Alcmaeonis filium noverunt: alter, Tzetzes[69]), Apollodorum citat testem — Euripidem nominare debebat —, alter, Lucianus[70]), Amphilochum oraculorum responsis celeberrimum de industria Alcmaeonis filium ex invento Euripidis nominavit, quippe quum vel inde Apollinis vatis auctoritatem diminutam cerni iudicaret, quod ἐναγοῦς ἀνθρώπου καὶ μητραλοίου υἱός magna apud Cilices frueretur gloria. Aut hoc si minus placet, Lucianum nominis ὁμωνυμίᾳ deceptum fratrem Alcmaeonis eiusque filium cognominem, quem ex Euripide noverat, commutasse vel inde apparet, quod vaticinandi munus Amphiarai filio natu minori tributum ad Alcmaeonis filium transtulit: is enim sequebatur famam ex qua Amphilochus post Troiam deletam cum Mopso Mantus filio Mallum condidit et vaticiniis summam gloriam adeptus est. Accurate persecutus est eam famam Eckermannus[71]) qui, quum egregiam operam collocaret in expedienda et Arcadiae et Acarnaniae fabularum ratione et explicanda, nullum dubitationi locum reliquit, quin argumentum quod a nobis supra est explicitum tragoediae Euripideae omni fabularum fundamento destitutum sit et a poeta omnino effictum. In altera vero Alcmaeonis τοῦ διὰ Ψωφῖδος tragoedia fabulam apud Arcades celebratam poeta secutus est.

---

66) Thucydid. II, 102.
67) Hecataeus ap. Strab. VI, p. 271.
68) Ephorus ap. Strab. X. p. 710 B. VII. p. 512 C.
69) Tzetzes ad Lycophr. v. 440 et 980.
70) Lucianus, deor. conc. 12.
71) Eckermann. l. l. p. 117.

§ 15. His ita expositis duo relicta sunt quae verbo tetigisse sufficiat: alterum cur poeta Ἀλκμέωνα τὸν διὰ Κορίνθου et τὸν διὰ Ψωφῖδος dixerit. Heynius[72]) Alcmaeonem Psophidem transgressum Corinthum ad repetendos a Creonte liberos adiisse censuit. Sed id neutiquam cadit in alterum Alcmaeonem τὸν διὰ Κορίνθου. Neque Welckero[73]) constat cur ita potissimum dictae sint tragoediae. Creuzerus[74]) Alcmaeonem quasi per Psophidem et Corinthum clarum redditum esse statuit. Bothius[75]) multis exemplis allatis quibus praepositionem διά loco ἐν positam demonstret, nihil attulit quod te doceat quid in illa coniunctione sibi velit διά. Dindorfius[76]) denique l. l. sequi videtur Nauckii sententiam qui, plerique, inquit, auctores simpliciter Ἀλκμαίωνα afferunt, et fortasse illa ὁ διὰ Ψωφῖδος et ὁ διὰ Κορίνθου grammaticis debentur, non poetae, quem ἐν Ψωφῖδι et ἐν Κορίνθῳ dicturum fuisse arbitror.

Alterum ad Hartungum[77]) spectat qui ne nostram quidem fabulam Euripidis ab artificibus neglectam esse statuit. Is enim in pictura vasis quadam Amphilochum detexisse sibi visus est qui sororem e manibus tyranni abducat. Iuvenis altera manu gladium, virginem altera tenet, abeunti similis. Rex barbatus sceptro conspicuus indignabundus adstat et fieri patitur quae prohibere non audet. Regina tergum vertit et miranti similis oculos retrorsum torquet. Atqui si Apollodorum argumentum fabulae nostrae referre statueris, Tisiphonen servam non amplius habuit Creo rex, sed ea venundata et ab Alcmaeone

---

72) Heynius l. l. p. 260.
73) Welcker. l. l. p. 583.
74) In Annall. liter. Vindob. a. 1833. vol. 61. p. 190 sq.
75) Bothius, Eur. fragm. p. 27.
76) Dind. l. l. p. 295.
77) Hartung. l. l. p. 539.

emta patrem comitata erat. Quid igitur? Quaerentes nos si qua artis opera ad fabulam Ἀλκμέωνος τοῦ διὰ Κορίνθου nostram illustrandam faciat, nihil adiuvat.

---

§ 16. Quae hucusque explanavimus brevi nunc ordine inverso repetemus. Facere igitur non possumus quin ita iudicemus:

1. Fabulae illae tres, Iphigenia Aulidensis, Alcmaeo, Bacchae, ab Euripide maiore sunt profectae.

2. Fabulas has Athenis nondum doctas mortuo poeta Εὐριπίδης minor Athenis docendas curavit et primas tulit.

3. Fabularum quas Euripidis mortui filius Athenis agendas curavit altera fuit Ἀλκμέων ὁ διὰ Κορίνθου.

4. Natura et indoles tragoediae ab Euripide immutatae ex comoediarum forma commutata est repetenda.

5. Euripidea Alcmaeonis qui ὁ διὰ Κορίνθου vocatur tragoedia singularis prorsus et ab aliis omnibus quae fata Alcmaeonis persequebantur fabulis aliena est.

6. Tragoediarum tria genera quum distinguat Aristoteles, ad id quod ponit ille secundum genus tragoediarum, quae in argumento versentur ficto quarumque personae sint fabulis cognitae et celebratae aliae, aliae et ipsae commenticiae, referendus est

Ἀλκμέων ὁ διὰ Κορίνθου.

VITA.

Fredericus Augustus Rudolfus Basedow

Suerini Megalopolitanorum urbe ante d. III. Idus Maias anni p. Chr. n. MDCCCIL. natus et confessioni evangelicae addictus sum. Pater e gente, quae philanthropum illum Ioannem Bernardum Basedowium genuisse gloriatur, ortus Fredericus Franciscus, opifex, adhuc superstes est, cui ut quam longissima contingat aetas a numine summo sanequam precor. Matrem Annam Elisabetham e gente Rathia praematura iuveni eripuit mors.

Primis literarum elementis imbutum puerum decem annorum me pater ad gymnasium Fredericianum, quod etiamnunc in urbe patria floret, deduxit, cuius civibus a rectore Viro Ill. Carolo Wexio adscriptus sum. Testimonio maturitatis instructus anno p. Chr. n. MDCCCLXVIII. ad Universitatem literariam Fredericam Guilelmam Berolinensem accessi, ab Ill. Georgio Beselerio, rectore tunc magnifico, in numerum civium academicorum legitime receptus, apud Ill. Kirchhoffium, facultatis philosophicae tunc temporis decanum, nomen rite professus sum. Per triennium in castris philosophorum versatus literis antiquis operam imprimis dedi non neglectis disciplinis historicis philosophicis archaeologicis theotiscis.

In literis antiquis Virorum Doctissimorum Illustrissimorum Kirchhoffii et Hauptii et Huebneri et Mullachii et Bonitzii scholis maxima cum utilitate usus esse mihi videor, atque saepe Steinthalii scholas adii cum de natura et indole linguarum indogermanicarum ratione imprimis linguae graecae latinae theotiscae habita tum de grammaticis Graecorum et Romanorum studiis disserentis. Trendelenburgium in rebus philosophicis, Droysenium et Mommse-

nium in historicis, Curtium in archaeologicis secutus sum duces.

Grammaticae theotiscae praecepta Muellenhoffius, grammaticae latinae Huebnerus mihi tradiderunt.

Neque solum exercitationibus philosophicis Trendelenburgii et archaeologicis Curtii interfui, sed etiam seminarii philologici, cui Hauptius et Kirchhoffius praesunt, hospitium saepenumero inii.

His Viris Illustrissimis Doctissimis quaecunque me docuerunt accepta refero gratiasque iis quam maximas ago omnibus. Neque melius me relaturum puto, quam si institutione eorum praeclarissima me non indignum quod restat praestitero.

Sequitur ut de studiis, quae mea sponte et voluntate amplexus sum, pauca dicam. Magistri enim ipsi mei dilectissimi, Buechnerus et Meyerus et Schillerus, qui sese mihi gymnasii Fredericiani alumno favore maximo et voluntate praebuerunt, auctores mihi fuerunt, ut studia sequerer philologica. Iis igitur obsecutus rebus antiquis praecipue animum advertebam. Sicuti vero neminem dubitare arbitror quin, qui eo ut literarum antiquarum scientia praestent aliquid vel adeo excellant progredi velint, iis id vel maxime elaborandum sit ut non solum linguae graecae et latinae ante omnes gnarissimi fiant sed perspicere etiam possint artium ac doctrinarum apud utramque gentem sermone scriptisve traditarum initia progressus incrementa regressus defectum: ordinem certum tenere studiorum meorum mihi semper imprimis cordi erat. Fieri igitur non potuit, quin res et Graecorum et Romanorum antiquas tractaturus prae ceteris carmina epica quae dicuntur Homerica adirem omnique ab parte inquirerem Viris Ill. Kirchhoffio et Hauptio et Mullachio professoribus adiuvantibus. Ac quod qui Fr. Aug. Wolfii Prolegomena ad Homerum iterum edidit (Halis MDCCCLIX), in praefatione: Maneat illud, inquit, quicunque in quaestionibus Homericis bene procedere velint, iis inde a prolegomenis Wolfianis principia deducenda esse; id minime mihi refutandum esse arbitratus studium magnum posui non solum in perlustrandis opinionibus eorum, qui uni tantum vati carmina illa adscribenda esse voluerunt, verum etiam in eo, ut mihi persuaderem, utrum Wolfius, Lachmannus, Kirchhoffius, Hauptius alii iure complures carminum Homericorum auctores intellegerent necne. Sed ne hoc quidem satis habui,

quod vestigiis Virorum illorum Illustrissimorum Doctissimorum ingrediebar. Iam vero quum his Viris auctoribus id mihi liqueret, carmina ille epica quae Homeri nomen prae se ferant, summam suam debere praestantiam non solis vatum quibus nos ea debeamus ingeniis, sed incunabulis suis e populo ipso tractis maiorem laudis suae partem iure sibi vindicare tum ex indole aetatis et gentis, ad quas referantur, vitaeque et morum, quorum exprimant imaginem, tum vero e natura ac colore sermonis prisci ad poesin si quis alius accomodati: reliquiae hae antiquissimae quin ante omnes ex prisci aevi sensu moribus opinionibus iudicandae essent, non dubitabam. Ut igitur constat Graecos ipsos carminibus illis esse usos tanquam annalium suorum antiquissimis monumentis fontibusque fabularum religionum institutionum artium patrii sermonis cultus genti suae proprii plenissimis: sic fontium instar vitae graecae iis usus sum. Quam rationem carminibus quae dicuntur Homericis adhibitam etiam omnibus aliis antiquitatis scriptoribus esse adhibendam ratus sum, ita ut una cum legendis et perspiciendis poetis aliisque scriptoribus cum Graecorum tum Romanorum res mythologicas archaeologicas historicas geographicas philosophicas metricas grammaticas discere studerem, minime tamen neglectis libris quos recentiores Viri Doctissimi illas res considerantes scripserunt.

Exempla ut edam rerum, quae animo intentiore me esse iusserunt, quaestiones dico a me habitas metricas in legendo Sophocle, geographicas in Homero, philosophicas in Platonis Sophista Timaeo Cratylo. Aliis vero hoc loco omissis imprimis enixe operam dedi quaestionibus cum de artificibus scenicis graecis, quos in catalogum redigere conatus sum, tum de Euripidis fabulis et Cresphonte et Alcmaeone Corinthio et habendis et perficiendis, ita ut, quum hodie quaestionem de Euripidis Alcmaeone Corinthio habitam proferam, si Deo Optimo Maximo visum fuerit, oblata occasione etiam alias illas duas quaestiones palam haud inepte tractaturus esse mihi videar.

Studia igitur mea et graeca et latina quum ita sese haberent, graecae et latinae linguae docendae facultatis primos gradus petere non dubitabam. Iam vero quod studiis et theotiscis et philosophicis non abstinui atque in tractandis linguae patriae literis et propaedeutica philosophica aliquid praestare posse mihi videbar, haud immerito primum locum

etiam in his rebus a me non alienum esse arbitrabar. Res denique et historicas et geographicas et franeogallicas et anglicas ne omitterem, eam mihi scientiam earum rerum me paravisse putabam, ut non primas, sed secundas certe partes sustinere possem. Roganti igitur mihi in examen pro facultate docendi sustinendum vocari ab iis, qui publice rebus illis iudicandis praefecti sunt, a. d. VIII. Kal. Novembres a. pr. duo themata diiudicanda sunt data, quibus intra sex menses responderem.

Sanctissimum vero simulque gratissimum officium reliquum mihi est, ut humanitatis et benevolentiae recorder, quas Vir. Ill. Ioannes Ernestus Heinrichsius, Phil. Doct. Art. Lib. Mag., Professor Regius, erga me habuit, quum domi ipsius per biennium in pueris docendis occupatus fuerim. Cui Viro Dilectissimo Honoratissimo refero quod in arte paedagogica aliquid neque parum me didicisse puto.

Scribebam Berolini a. p. Chr. n. MDCCCLXXII.

Fredericus Aug. Basedow
Mun. Schol. Cand.

M.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 044 992 7